



UNIVERSITÄTS-  
BIBLIOTHEK  
PADERBORN

## Universitätsbibliothek Paderborn

### Controversiarvm Omnivm Hvivs Ævi Lvthero-Calvinisticarvm Libri Tres

Coppenstein, Johann Andreas

Mogvntiæ, 1627

VI. An Res & Verba Sacramentorum sint immutabiliter determinata?

**urn:nbn:de:hbz:466:1-35233**

## QVÆSTIO VI.

*An Res & Verba Sacramentorum sint immutabiliter determinata?*

**L**VTHERVVS libr. de Captiuit. Babil. cap. de Baptis. Sat esse ait, baptizari in nomine Domini: Imò suscipi in nomine Domini, e si minister non det in nomine Domini. Hoc tamen reuocauit anno 1535.

BRENTIUS tamen & Zvinglius concepta verba flocci pendunt. Plurè detestores Gnosticos, qui etsi in scriptura mutarent, sua tamen certa seruabant. Vide in *Geneal.* p. 39. 1.

**A**VTOR. I. Res & Verba Sacramentorum nouæ legis à Deo determinata sunt sic, vt mutare nefas sit, Additione uocis, aut Detractione, aut Mutatione synonymica, aut Corruptione syllabarum, vel Transpositione, vel Interruptione longiore. 2. Sat tamen est seruari substantialem formæ integritatem, quæ in sensu ac significato uerborum consistit. Accidentaliter nil derogat ueritati Sacramenti, nisi fiat studio nouum inuendi ritum in Ecclesiam. Sic enim non foret intentio faciendi, quod facit Ecclesia.

**R**ATIONES euincunt. I. Quia cum Sacramenta solum à Deo potuerint institui, etiam formam, vt præcipuam partem, institutam esse necesse est: adeo vt non sit Sacramentum, cum non sit, quod Deus instituit. 2. Materiam Sacramenti mutare nefas: ergo & formam. 3. Verba Sacræ Scripturæ, ad significandum scripta, mutare nefas: grandius ergo mutare formalia Sacramenti ad sanctificandum instituta.

4. Ita S. Patres. Augustinus libro 6. contra Donatistas, cap. 25. *Certa sunt uerba Evangelica sine quibus non potest conferri Baptismus.* Tertullianus libro de Baptismo. *Lex tingendi imposta est, & forma præscripta.*

## QVÆSTIO VII.

*Qualis Sacramentorum sit Necessitas?*

**L**VTHERVVS Kemnitius in Exam. Trid. Sess. 7. Cap. 4. *Necessitatem Sacramentorum opposuit (Tridentini) iustificationi per solam Fidem, &c. Sacra non sequitur; Sacramenta ad salutem sunt necessaria: non solum Christi suo merito nobis eam acquisiuit; non sequitur; Ergo non per solam fidem accipimus gratiam in iustificatione. Plura euidem mendacia in Concilio Tridentino uide in meo *Antiq. part. 2. quæst. 2.**

**L**VTHERVVS libr. de Captiuit. Babil. cap. de Baptis. *Baptismus nomen iustificat, nec ulli prodest; sed Fides in Verbum promissionis.* In Assert. 1. artic. Not dicimus, nec noui nec Veteris Testamenti Sacramenta, sed ipsam fidem iustificasse. Ecce libro contra Cochleum. *Nepotest ullapars iustificationis tribui Baptismo.*

MELANCHTHON in Locis anno 1521. editis. *Non iustificat signa, ut Apostolus ait; Circumcisio nihil est, ita Baptismus nihil est; particeps mens Domini nihil est.*

II. CALVINVS in Antid. Trid. ibid. sic calumniatur. *Boni Patres pro sua craftate non aduertunt; quicquid nobis gratis per Sacramenta confertur, nihilominus fidei imputandum. Qui enim Fidem à Sacramentis separat, prode facit, ac si animam à corpore tolleret, ergo quemadmodum Evangelij doctrinam non excludimus, cum dicimus nos solâ fide Christi gratiam adipisci; ita nec Sacramenta: quorum eadem ratio est; cum Evangelij sint Sygilla.*

Vna utriusque calumniandi est sententia Sacramenta non adeo esse necessaria, ut sine iis, facto, vel voto, salus nulli contingere queat; etsi uerilia sint. Nam sola Fides saluare potest.

**A**VTOR. I. Nulla Sacramenta habent absolutam necessitatem: quod sine his saluare Deus valeat. Aliqua tamen necessitate præcepti, & mediis simpliciter necessaria; vt omnibus Baptismus; relapsis Pœnitentia; Ordo Ecclesiæ; hic tamen non singulis. Quia Ioa. 3. 206